



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 13. Protestatio, & postulatio amantis animae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

sterio nostræ Redemptionis. Deinde quæres diligenter S. Joannem Baptistam Præcursores Domini in eremo latentem, dicisque ei: Ave sanctissime & dilectissime amice Jesu Christi Joannes. Multa bona & mirabilia audivi de te; quomodo sis natus mirabiliter, & in utero Matris sanctificatus: quam strictè & religiosè in solitudine conversatus fueris, ne levi saltem cogitatione peccares. Tum petes ab eo quandiu & cur in solitudine vixerit; quis ei ministraverit & alia hujusmodi: audiesque intus ipsius responsum rei propositæ & respondentis sanctitati accommodatum. Postea ad Apostolos Christi procedes, & dulcia cum singulis inibis colloquia. Petes a Petro, quomodo fleverit peccatum suum, ibisque cum eo in Templum ad orandum & ascendes in cænaculum, ut accipias cum eo Spiritum Sanctum. Ibis cum Paulo per omnia loca ad prædicandum & quæres ab eo, Quomodo raptus fuerit in Paradisum. Ab Andrea postulabis, quam suavis fuerit ei Crux: à Jacobo majori, qualiter biberit Calicem Passionis occisus ab Herode. Joannem interrogabis de suo Evangelio & divina Apocalypsi, statuque totius Ecclesiæ militantis & triumphantis. Eodem modo cum ceteris colloquia inibis, & discures postmodum per choros Martyrum, Confessorum & Virginum, insigniores ex eis salutando & de virtutibus eorum sermonem instituendo, cum affectu amoris, devotionis & imitationis.

§. XIII. *Protestatio, & postulatio amantis anime.*

**M**agnum est, Domine, desiderium, quo ardeo te solum amandi, tibi soli serviendi: sed infirmæ admodum ac debiles sunt vires meæ. Multi sunt, qui me persequuntur, infinitæ sunt cogitationes & sine numero tentationes, quæ me affligunt: & nisi tu adjuves me, paulominus habitabit in inferno anima mea. Ideo cupio me tecum ligare vinculo indissolubili, quod in æternum dissolvi non possit. Protestor igitur ego peccator miserabilis & servus tuus indigens gratia & misericordia tua, co-



ram te Deus meus Pater & Fili & Spiritus Sancte, intendens hunc actum continuare in efficacia tui benedicti & amantissimi cordis: Protestor inquam, quod nulli omnino cogitationi, verbo, vel actioni, quæ contra te vel sanctissimam legem tuam, aut contra præcepta Ecclesiæ, & statuta regulæ meæ sint, assensum præbere volo: atque hæc omnia à me semper elongare conabor, exhibendo me purum, & immaculatum in conspectu tuo. Audiant cœli, audiant Angeli, & cælites universi hanc meam voluntatem, & protestationem. Audiat me terra, & incolæ ejus, sintque mihi universæ creaturæ testes vitæ emendationis, quam deinceps instituire decerno. Attentus sit infernus, & qui eum inhabitant maligni spiritus, animæ infelices æternis ignibus addictæ, quia eorum suggestiones, & peccata abominor & detestor, eorumque horribili exemplo tremo & expavescō. Sed quia ex me nihil sum, & nihil possum, instantissimè à te postulo, Domine Deus meus, omne quod mihi necessarium est ad amandum te, & serviendum tibi fideliter: Dum verò hoc dico, intendo hac mea petitione includere, ac simul unire, & offerre tibi omnes orationes omnium Angelorum, & Sanctorum, Beatissimæ Virginis & Jesu Christi Filii tui, omniumque electorum tuorum, quæ vel mente, vel voce factæ sunt ab initio mundi, & fient usque in finem: omnique momento hunc actum renovare intendo, certam habens confidentiam, quia tu Domine exaudies me per Jesum Christum Filium tuum, & per merita Sanctorum tuorum. Amen.

§. XIV. *Exercitium spiritualis mendicitatis.*

**Q**uia pauperes in hoc exilio sumus, mendicandum est nobis in terra viventium, ubi locus est magnarum elemosynarum, à Rege, à Regina, & ab omni familia. Dividenda cœlestis patria in varios vicos, seu regiones, statuendo in una Angelos, in altera Patriarchas, & sic de reliquis. Porro Angelos considerabis tanquam nuncios,